



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

V. Colloquium Maulbrunnense, in quo Vbiquitatem Brentius defendit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

in transylvania Luthericam, Bernenses Lutherum sequentes in exilium egerunt [a] Eodem anno Nuringbergæ tentata à Confessionistis damnatio Zvinglianorum, sed frustra, multis ad Zvinglianos propendentibus, Hinc per Germaniam immane chaos libros scribentium adversus adversarios in omni pago pene contradictio & disputatio audiebatur, [b] & Joan. Fridericus Saxonæ dux Vinarius, cum multa contra Palatinum indignatione discessit. In Transylvania Conventus Megyesicus eod. anno de ultima cœna conventus celebratus est [c] & Disputatio Possiaca in Gallia (de quo postea) an. 1562. Luneburgi mense Majo Principes Inferioris Saxonæ convenientes Calvinismus Brenur & alibi nidulari incipientem damnarunt. [d] Halberstati idem factum est mense Septembri anno 1563. Calvinicorū Lausannæ comitia celebrarunt, in quibus Calvinus rejiciens symbolum Athanasii & Joan. 10. dictum: *Ego & pater unum sumus*, de sola voluntatis unitate interpretatus & Arrianus apparuit. [e]

V. Maulbrunnæ anno M. D. LIV. mense Aprili [f] cui à parte Calvinistarum Elector Palatinus, adductis secum Boquino & Oleviano, qui post Wirtembergici adventum cum Comite Witgestenio in Westphaliâ discessit, & à parte Lutheranorū Ludovicus Dux Wirtembergicus interfuerunt, adductis Jacobo Andrea Smidelino & Brentio qui Ubiquitatem Christi magnis conatibus propugnarunt. Conventus hujus Acta Germanica lingua postea promulgata sunt, in quibus inter alia Lutherani de Calvinistis sic loquuntur: *Incredibilis est Calvinistarum impudentia publice jactantium se à nobis pro fratribus haberi, quos tamen neque in Ecclesiis nostris ferre, neque pro fratribus, sed potius pro inimicis Jesu Christi, & à mendacii spiritu agitari agnoscimus.* Petriceviæ etiam an. 1566. habitus fuit conventus, in quo Calvinistæ suscepta contra novos Arrianos disputatione, rem ad exitum perducere nō poterunt. [g] Eodem anno Parisiis habitum est Colloquium 9. Julii inter Catholicos & Calvinianos: & Londini. [h] Varadini in Transylvania anno sequenti, inter eosdem hæreticos, in quo convitiis & execrationibus res acta fuit. [i] Altenburgi an. 1567. in Misnia inter Lutheranos Molles & Rigidos, in quo pars una magistrum suum in cœlum extulerūt, alii ejusdem cum ceteris hominibus conditionis esse voverunt. Transacto mutuis contentionibus integro fere semestri, tandem Molles Lutheranis suis Lutheri, Rigidi vero seu Flacciani, Melanchtonis librorum & Augustanæ Confessionis lectione,

earumq; ceremoniarum & Ecclesiasticorum ornamentorum quæ hæctenus in Missa apud Witebergenses usitata fuerunt, usu interdixerunt, ne cum illis quidquam commune haberent. [k] an. sequente 1568. in Dominiis Geran. Conventus Protestantium Confessionem Augustanam definivit esse Corthurnum omni pedi aptum, & in conclusione precum Per Dn. N. Jesum Chr. *filium*, jufferunt dici ut Mahumetani, *fidelem servum tuum*. [l] Eodem ascendomiriæ Calviniani cum Trideitis confixerūt frustra ex scripturis Albæ Julix an. 1570. inter Trideistas & Calvinianos disceptatū. Dresdæ a. 1571. in quo Lutherani Lipsienses à Flaccianis hæreseos sunt dānati. Bernæ anno sequenti, ubi Sacramentarii in tot sectas hæctenus distracti, contra Ecclesiā cōmune fedus fecerunt. Cracovix, an. 1573. ubi omnes diabolorum qui in Polonia passim & Transylvania sunt, cœtus fuere congregati: in quibus Daniel, Georgius, Jurequius Cerdo, detestabilem hæreseon antesignani, dum sibi quisq; suisque dogmatis fidem arrogare & alteris detrahere nititur, operam & oleum perdiderunt, ab adversariis turpiter explosi. Remburgi anno 1574. ubi Principes aliquot Imperii conveniant, adductis Ecclesiarum suarum ministris, sed sine ullo iti dem fructu, singulis in sententia sua persistentibus.

VI. Venio nūc omiſſis multis ad celebre illud Mōpelicardense Colloquiū, in quo Theodorus Beza, & Jacobus Andrea Smidelinus, Professor Theologiæ & Cancellarius Universitatis Tubingensis in Ducatu Wirtembergico, inter se congressi sunt. an. 1585. Id Colloquium concordix inter Lutheranos & Calvinistas tentandæ causā magno apparatu, magna que hominum expectatione institutum ac celebratum, longe diversum finem habuit, utriusque partis animis multo magis contra se mutuo exacerbatis. Beza enim dicebat corpus Christi tantum esse in cœlo, Smidelinus vero esse ubiq; Tunc nova verborum monstra nata sunt. [m] *Vfus cœna Oralis, naturalis, Sacramentalis, omni majestati-cū epe*, Posnaniæ eodem anno inter Calvinistarum 300. ministros conventus est celebratus ad edendum unam conformem per omnia professionem fidei, rogatu Palatini Posnaniensis. Sed effectum nihil disensione concordium in apostasia, [n] anno 1587.

[a] Anatomia. [b] Anatomia. [c] *Supra lib. 4. c. 7. n. 9.* [d] Anatomia. [e] Anatomia p. 3. [f] Anatomia l. cit. [g] Anatomia. [h] Anatomia. [i] Anatomia. [j] Anatomia p. 113. [k] Anat. p. 113. [l] Anatomia p. 117. [m] Anatomia p. 118. [n] Anatomia ibi.